DE

CARCINOMATE UTERI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALEXANDER FERDINANDUS HENSCHEL

LUCKENWALDENSIS.

OPPONENTIBUS:

R. FUHS, MED. ET CHIR. DR.,
F. STEINER, MED. ET CHIR. DR.
C. ENCKE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI.

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

HASCE

QUALESCUNQUE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

Ordinem morborum, qui valetudinem vitamque humanam infestare solent, perlustranti, vix occurrit morbus tam tetrae ac deleteriae indolis, quam carcinoma uteri. Omnium aetatum pathologi hanc ob causam maximo cum studio animum ad penitiorem cognitionem naturae, aetiologiae curaeque cancri attendebant. Jam ex Hippocratis aevo ad nostram usque litterarum studio tam insignem aetatem omnisquisque fere scriptorum medicorum operam impendit carcinomatis naturae detegendae; quamquam omnes ad hunc usque diem oleum et operam frustra consumserunt in revelanda natura et curatione hujusce detestabilis morbi. Exstant opiniones aetatum et scholarum medicarum variae, quae, prouti dogmata pathologica aut humores aut partes solidas morbos efficere docebant, variam aetiologiam desorganisationis carcinomatosae in lucem

protulerunt, vix autem indolem hujus deleterii morbi evidentem reddiderunt. Pars scriptorum causam carcinomatosae destructionis in alienatione primaria systematis nervosi ponunt, altera degenerationem istam effectum morbosum vitiosae secretionis nominat. Alii vero positam existimant in vitio, cujus primordia locali inflammatione stipentur. Tali modo Brussaeus: Scirrhus, inquit, semper procedit ex imminuta irritatione telae areolaris. Distinguitur scirrhus ab encephaloide colore tantum, cum nihil aliud sit, quam albumen, irritatione vasorum in tela illa accummulatum. Si motus dissolutionis, qui oritur in fluido, ulcerationem paravit, adaugetur irritatio, et inflammatio tum prorumpit. Porro: Revera inflammatio organica, reagens in telam lymphaticam, matrix productorum istorum carcinomatis est habenda; cum praeterea cancer syphilidem, impetigines, scabiem et elephantiasin sequatur, luculenter patet, cancrum morbum peculiarem a primordio non esse, cui victimae mactentur necesse sit. Neminem jam fugere potest, indolem carcinomatis ingeniosissimos quoque scrutatores fugisse, eam praecipue ob rem, quod carcinomatosa producta chronicarum instar indurationum tarde procedant, nec organa, in quibus exoriuntur, calorem adauctum manifestent. Scirrhi distinctio ab induratione chronica maximam offert difficultatem, priusquam in stadio ulcerationis, cancri aperti, symptomata reactionem universalem in organismum jam evidentius pronuntiant; quippe quo in stadio calor, sicuti in phlegmasiis purulentis, mutetur; hoc in stadio color telae organi infecti alienari solet: eva-

dit enim plumbeus, helvus, stramineus, demum cerae simillimus. Febris hectica, macies, vitiaque humorum et functionum accedunt. Disputarunt medici excellentissimi de carcinomatis natura, utrum posita sit in toto organismo, an primitus localis morbus debeat haberi. Ipse sibi repugnat Bouillaud, hunc in finem afferens sententiam suam: Carcinomatis reditus post operationem ad locum, quem antea tenebat, ab eo pendet, quod cancer radicitus non eversus est. Quod restat, germen praebet, quo cancer iterum oritur; idem alibi dixerat, ex inflammatione ortum ducere. Boyer respondet: cancrum recte cognitum semper redire post operationem, etiamsi maxima cum providentia omnes partes morbosae resectae sint. Huic sententiae suffragatur Ill. Richerand, dicens, diathesin cancrosam omnem sanationis spem exstinguere, oriri autem ex vitio locali, diffundi resorptione materiae in cancro paratae, neque adesse antea. Sequitur Richerand Peyrilhii sententiam, dicentis, carcinoma semper esse vitium locale, diathesin vero cancrosam ex ichore profluente carcinomatoso, per vasa lymphatica resorpto, oriri. Uterque diathesin cum infectione confundit, sicut quoque Dr. Robbert, qui, cum symptomata communia carcinomatis et reversionis ex resorptione ichoris cancrosi deducat, non aliter censet diathesin oriri, quam resorptione veneni cancrosi. Carcinoma vitium locale esse, Bell, Le Cat, Pouteau aliosque credidisse, ex eorum scriptis elucet.

Indolem cum respicimus deleteriam desorganisationis carcinomatosae, non solum cancri aperti,

sed etiam scirrhi indurati sine dolore ac sine reactione in totum organismum, nihilominus post exstirpationem redeuntis; neminem amplius fugere poterit, causam diatheseos carcinomatosae positam esse in organismo ipso, ejusque esse modificationem morbosam peculiarem, sine qua scirrhus numquam exoriatur, aut post operationem revertatur.

Disputarunt porro medici de carcinomate, utrum pendeat a singulari organismi dispositione, quae per causas locales concitata in cancrosam destructionem abeat; an sit morbus primarius organismi. Secundam sententiam medici antiquissimi jam secuti sunt; tali modo Hippocrates tangi cancrum occultum vetat, quia tactns scalpello vel cauterio vitam deleat. Celsus affert, cancrum quidem cum maxima cura, praecipue eum faciei et mammarum, molliendum esse, sed cavendum, ne irritetur; Oppugnandum cum cauterio, cum ferro candente et scalpello: omnia tamen nihil prodesse, quia post cauterisationem exacerbari, post exstirpationem vero, etiamisi cicatrix facta sit, revenire, citiusque ad mortem ducere, quam sine operatione, visum sit. Arabes medici e contrario operationem imperant, alii, uti Lanfranchi, Berthapaglia, Tagault, Ambrosius Lusitanus, Paré, curam palliativam praescribunt.

Allata quaestionem, utrum carcinoma sit morbus primitus localis, an universalis, non dirimunt; adferantur ergo necesse est opiniones aliae. Bayle et Cayol putant, dari internam dispositionem, quae in quibusdam casibus cancrum efficere possit, qua autem deficiente, causae aliae externae et locales

numquam cancrum producere queant. Hanc causam aegrotandi nominant diathesin, seu dispositionem cancrosam. Hanc dispositionem reversionis causam post exstirpationem cancri accusant, deducunt inde quoque ortum vitiorum cancrosae indolis in locis aliis. Diathesin istam per longius tempus, imo per vitam totam adesse posse, judicant quin ulla producat symptomata, vel alia vel carcinomata; praeterea non semper eandem ejus in organismum esse efficaciam, affirmant. Eadem efficit, ut irritatio minima cancrum in lucem proferat, cum contrariis sub conditionibus causae occasionales gravissimae vix scirrhum adducant. Affirmant porro, hanc diathesin non semper eandem esse, cum homo alter magis ad destructiones cancrosas cutaneas, alter ad cancrum glandularum aliorumque organorum vergat. Diathesin ad carcinoma locale gignendum exsistere revera, pro explorato habemus: faventhuic sententiae omnia, quae experientia et ratio nos docet.

Deduci inde potest regeneratio carcinomatis post operationem, aut in loco priori, aut in alio loco vel systemate organismi. Nullo alio ex fonte deinde infectio totius organismi per fomitem istum durum, nec dolorificum, nec fluctuantem, ichorosa materia plenum, derivari poterit. Si vero tumor iste metamorphosi submittitur morbosae, quae abit in mollitiem, suppurationem, ulcerationem, jam suppeditabit materiam resorptioni morbosae: hoc in casu efficit cachexiam cancrosam, statum a diathesi carcinomatosa differentem; nam diathesis causa morbi recte dicitur, cachexia vero sistit provectius stadium morbi, itaque non causam, sed effectum.

Causae occasionales scirrhi sine hac diathesi cancrosa numquam abibunt in cancrum, sed inducent inflammationem aut morbos eam sequentes. Delpech hunc in finem affert: Carcinoma quodque ab origine symptoma est certae diatheseos, cujus principium et sedes nos latent. Ex quibus profluit, carcinoma semper et ubique malum esse constitutionale, per totum corpus diffusum. Hac ex causa allegari solet Celsi dictum: „quidam ferro adusserunt, quidam scalpello exciderunt, neque ulli unquam medicina profuit; sed adusta protinus concitata sunt, et increverunt, donec occiderent; excisa etiam post inductam cicatricem tamen reverterunt et causam mortis attulerunt.“ Nihilominus medici inflammationem accusant carcinomatum causam, proferentes laesiones mammae inflammationem sequi, quae nullatenus antiphlogisticae curae cedere soleat, sed e contrario in induratione persistat, donec post protractam indurationem abeat in destructionem carcinomatosam. Huic sententia suffragantur Fearonis dicta: inflammatio causis cancri adnumeranda: confiteorque, me ex annorum numero in hanc causam magis intendisse, quam in aliam. Fugit me, hujusce inflammationis naturam et originem pertractare in modum physiologorum; methodus vero, quam in cura hujus morbi secutus sum cum felici eventu, nititur solummodo in ea ratione, inflammationem sine mutatione et semper cum causa proxima morbi junctam esse. Mirum est, illustrissimos quoque scrutatores decursum inflammationis chronicae affectionibus cancrosis aequiparare studuisse. Praeterea experientia edocti scimus, can-

crum rediisse post operationes, quae nullum dubium reliquerant, partes cancrosas ad radicem usque exstirpatas fuisse, v. c. post exstirpationem mammae, aut testiculi, ubi funiculus spermaticus omnino expers erat affectionis, quamquam et casus exstant, in quibus, Recamier affirmante, diathesis evanuit; hi vero tales sunt cancri, qui cystide includebantur; ibi operationem una cum scirrho diathesin abstulisse, credendum est. Adesse eam diathesin universalem, elucet porro ex eo, quod dispositio hereditate propagatur a parentibus ad prolem, sicuti serophulosis, syphilis, phthisis et alii morbi per hereditatem transeunt ad infantes hisce morbis laborantium. Exemplum affert hunc in finem Bayle familiae cujusdam quinque membrorum, quorum unum laboravit carcinomate mammae, alterum faciei, tertium carcinomate ventriculi. Alium casum describit feminae carcinomate uteri mortuae, cujus sororum una defuncta erat carcinomate mammae, altera, tum temporis vivens, laboravit helcosi cancrosa in regione cervicis. Metamorphosin cancrum nunquam inire posse affirmamus, eumque semper morbum propriae indolis esse, quocunque in loco organismi oriatur et qualicunque cura molliatur. Negamus contusiones, vulnera, ulcera et quae aliae laesiones porro organismum infestant, recipere posse characterem carcinomatosum, nisi adsit diathesis memorata ad hunc deleterium morbum, qui omni pertinaciter resistit curationi fortiori et audaciori. Officio miserrimo tunc fungitur medicus in auxilium carcinomate laborantium vocatus; spes sanationis nulla ei ejus conamina, saluti hu-

manae dicata, sublevat, quoniam ratio de salute effectuque curae instituendae desperare eum jubet, nihilque restat, quam ut studeat timorem et desperationem aegrorum de sua salute humaniter levare solatiis et promissionibus, etsi fallacibus, quae spei capessendae locum faciant; nihil, inquam, superest, quam ut tali modo vitam aegrotantium miserrimam cura prophylactica, psychica et medica ad ultimam metam protrahat.

Symptomatologia scirrhi et carcinomatis in genere.

Cancer, carcinoma, carcinus, lupus cancrosus, ulcus cancrosum, cacoëthes, noli me tangere, telephium, phagedaena; — Relatis nominibus insignitur morbus, qui talem prae se fert indolem, ut partes affectae, praecipue glandulae, tumore infestentur, abeunte in indurationem malignam, plus minusve initio circumscriptam, haud dolorificam, tempore interposito autem breviore aut longiore in foedam ulcerationem, partes finitimas destruentem. Malum constat in specifica idiopathica degeneratione ulcerationeque gladularum, jam antea scirrhosarum, quae obiter tantum irritatae in hanc detestabilem mutantur destructionem, quae semper eadem manet, sive sit idiopathica, primaria, sive symdtomatica, secundaria. Ocurrit ulcus carcinomatosum in quavis regione corporis, glandulis instructa, prae omnibus vero in naso, labiis, lingua, mamma muliebri, mentula virili, testiculis et genitalibus foe-

mineis, praecipue utero. Idiopathicus cancer tantum infestat cutem, telam cellulosam, mucosam et glandulas, minime vero cartilagines, tendines, ossa, apparatum articulorum, telam serosam et musculos, qui inserviunt motui articulorum. Quivis cancer apertus has quoque partes rapido progressu destructioni summittere potest. Ut malum deuteropathicum, ubi diathesis ad morbos cancrosos in corpore jam viget, cancer supervenire potest vulneribus, excrescentiis, ulceribus, verrucis, indurationibus et inflammationibus chronicis male curatis. Quamquam plures medici varias species cancri attulerunt, sufficiat nobis cancrum divisisse, in occultum, scirrhum malignum et apertum, manifestum, ulceratum, carcinoma. Oritur vero cancer occultus e scirrho benigno sic dicto tali modo: induratio antea parva, diutius protracta, aequalis, durior redditur, accedunt dolores initio intermittentes, tum persistentes, pungentes in organo laborante, terebrantes, pulsantes, rodentes, caedentes. Induratio initio mobilis concrescit cum musculis affinibus et cute induente, inaequalis, nodosa redditur; vasa proxima discedunt in varicositatem, nigro induuntur colore. Calor indurationis adaugetur, cutis fit laevis, nitens, tensa, rupturam minans, sine ullo fluctuationis sensu. Raro haec symptomata febri stipari solent. Indurationem si incideris, sicut in scirrho benigno massam invenies laridam, duritiem insignem, ea vero interposita differentia, ut in centro indurationis majorem offerat duritiem. Centrum indurationis minus planum diaphanum aut cartilaginosae indolis est, sed asperum, hic illic rubris pun-

ctis, alibi cellulis majoribus instructum, quae continent fluidum tenax, sanguinolentum. Si marginem cellularum contemplari licet, invenies eum ex rubro pallescentem et superficiem interiorem substantia fungosa indutam. Quamquam distinctio scirrhi maligni a benigno maximam difficultatem offert, tamen error auferetur si symptomata contemplationi strictiori submittis anamnaestica et praesentia: Praesertim si in mentem revocas, malum adhibitis irritantibus et solventibus localibus medicamentis in dies pejoris fieri indolis. Hunc descriptum scirrhum malignum sequitur carcinoma sive cancer apertus. Dividi quoque solet haec cancri forma in primarium et secundarium cancrum. Forma prima e cancro occulto oritur, forma secunda complicationes inire solet cum helcosi syphilitica, herpetica, scabiosa, impetiginosa; indolem suam peculiarem imprimit verrucis, polypis et quae alia sunt, si ad eorum sanationem nimis irritantia medicamenta adhibueris. Hanc formam secundariam vix in ulla parte corporis desiderare non occurrere posse, judicabis, praecipue vero eam videbis in iis regionibus corporis, in quibus locus scatet vasis lymphaticis et glandulis cuteneis. —

Necesse erit, describam symptomata cancri manifesti, primarii, quae haec sunt: cancer occultus antea latens, aperitur, inflammatione, quae cutim dirumpit, destillat inde sanies tenuis fusca, sanguinolenta, acris, corrodens, odoris cadaverosi. Continent vero secundum Crawford, sanies ista ammonii copiam majorem, gasque hepaticum. Nigro inficit colore instrumenta argentea; acidum sulphu-

ricum ad efficiendam reactionem adhibitum e sanie expellit gas bydrosulphuricum, chloretum vero halitum foetidum statim vincere solet. Quod characterem mali attinet, adnotandum est, induratione rupta puris effluvium non adesse; tumorem nec minui, nec duritiem evanescere, cohaesio cum organis affinibus non solvitur, e contrario dolores accedunt, qui aegrotum vexant urendo, ita ut dolorem comparet cum eo, quem carbones urentes efficiunt, adaugentur dolores libero aeris accessu. Conformatur ulcus superficiei inaequalis, nodosae, fungosae, cujus margines reflexi saepius, rarius inflexi tuberculosi evadunt. Malum si procedit, eandem induunt formam scirrhosam vasa lymphatica et tela vicina, donec ipsa quoque ulcerationi carcinomatosae submittuntur, porro glandulae fomites morbosi expertes scirrhosam ineunt metamorphosin e. gr. in carcinomate mammae glandulae axillares et musculi intercostales. Occurrunt mox in provectiore stadio morbi profusiones sanguinis, quas vix arte sistere possis, macies subsequitur, febris hectica, color cutis e luteo viridis; conqueruntur de asthmate aegroti, de palpitatione cordis, anxietate, inquiete et somno perturbato; tubercula callosa in auricula observantur, syncope, convulsiones, sudores et diarrhoeae colliquativae vitae finem mox imponunt. Saepius quoque antequam scirrhus in ulcerationem transmutatur, elevatio observata est, digitali simillima, in superficie indurationis, major sensim sensimque facta, quae rupta, fungi similitudinem praebebat cum basi adhaerentis. Excrescentiae volumen acquirunt majus, margines ul-

ceris primum divaricantur, tum vero circa superficiem crescunt, donec destruuntur ulceratione. Secundarium ulcus cancrosum nominamus mutationem ulceris benigni, quod deleteriam, e diathesi carcinomatosa ortam, induit cancri naturam. Ulcus expers doloris pungentis, duritiei marginum, optimae secretionis, inflammatione maligna correptum mox scirrhosum efficitur ista diathesi vigente, ita ut nullum tunc discrimen sit inter primarium et secundarium ulcus. Ineunt vero hanc metamorphosin ulcera labiorum, oris, scroti, mammarum, syphilitica scrophulosa, herpetica, mercurialia, male curata, quorum diagnosis rationalis medicum tantummodo impedire potest, quominus malam perversamque medendi viam ingrediatur. —

Hisce signis carcinomatis et scirrhi generatim expositis transire liceat ad descriptionem.

Symptomatum scirrhi et carcinomatis uteri.

Superioribus in paginis hujus dissertationis pradispositionis ad cancrum mentionem fecimus, cujus vero explicatio maximam affert difficultatem, cum ne unum quidem allegari possit symptoma, quo extra dubitationem ponatur. Hac enim parte res non aliter se habet, ac in dilucidanda praedispositione corporis ad alios morbos. Latet per aliquod tempus abdita, tum subito erumpit, priusquam licuit latens virus in corpore detegere. Oritur carcinoma uteri plerumque in periodo muliebri clima-

cterica, post aetatis annum quadragesimum, quibus tamen innuere non volui cancrum occurrere non posse, vel ante vel post hoc tempus. Symptomata prima tenebris obteguntur et talem tantum organismi affectionem imitantur, qualem in quovis morbo uterino observare solemus. Perturbationes uteri tam leves sunt in primordio, ut mulieres ipsae eas vix sentiant, nec nisi longius per tempus iis obnoxiae medici auxilium petant, quia praeterea perturbationes cancrum antecedentes omnino similes sunt iis sensibilitatis perturbatae uteri, ne dicam graviditatis incipientis. Primum symptoma occurrit irregularitas catameniorum in mulieribus adhuc menstruatis, aut retardantur, aut per plures menses haud interrupta fluunt; in muliebribus non menstruatis signa desumenda sunt ex menstruatione reversa, irregulari et intercepta. Color sanguinis menstrui muci similis est et striis sanguinolentis tinctus, saepius tamen mucus tenax ex cavitate uteri profluere solent. Intrant haec symptomata uterina sine dolore, nisi hic gressu, positione erecta, aut vectura per vias salebrosias evocetur. Accedunt tum dolores lancinantes inguinum et sensus molesti ponderis in fundo uteri. Sentiunt mulieres genitalium pruritum, ad libidinem et coitum incitantem, quem dolor concomitatur obtusus. Dolore afficiuntur mammae durae, turgentes, voluminosae. Nausea premuntur mulieres intestabili, victum spernere solent, laborant melancholia, doloribus variis, vagis, intermittentibus, ut paucis dicam, coenaesthesi omnino laesa. Interdum aegritudo in hoc stadio longius tempus persistere solet, donec

incitamentum quoddam organismum petit et progressus morbi accelerat. Tunc fluor albus adaugetur, dolores oriuntur crebriores et inimiciores in ligamentis teretibus latisque versus uterum tendentes et in regione inguinali decursum nervorum sequentes ad glutaeos usque et crura, quo in casu confundi possunt cum doloribus neuralgicis. Uterus per affluxum humorum gravior redditus, vincit resistentiam ligamentorum jamque descendit ad perinaeum, prolabiturque aut cervix retroversus fulcitur recto intestino. Status et gressus erectus exasperant dolores regionis inguinalis et cruralis uterique ipsius. Exploratio obstetricia in auxilium vocata pondus uteri et volumen adauctum indicat, ejusdem fere magnitudinis, quam in sexto graviditatis mense. Si vero, quod rarius accidere solet, corpus uteri primum laborat, destructione cancrosa, cervix, quae saepissime focum aegrotationis exhibet, incolumis manet; invenies tum hypertrophiam corporis uteri, sensibilitatem morbosam, et inaequalitatem exploratione per intestinum rectum manuque hypogastrio superimposita detegendam. Sin autem corpus una cum collo uteri laborat, exploratione degenerationem colli dignoscere licebit. Scirrhus uteri, quem stadium carcinomatis diximus, metamorphosin pathologicam sistit, difficillime discernendam a morbis aliis uterinis, ex inflammatione chronica uteri ortis. Ostendit in primordiis punctum induratum, magnitudinis pisi, plus minusve crescens, cum superficie nodosa, tuberculosa, in qua excrescentiaé fungosae animadvertuntur. Multiplicantur noduli in uno alterove labio colli uteri

circumvallantque orificium. Abest dolor spontaneus, quippe quem exploratio manualis vix provocet. Serius telae propinquae inflammantur, intumescunt explanantque intervalla tuberculorum. Exploratio hoc in stadio dolorem ciere solet majorem aut minorem, quem inflammationi adscribere oportet. Tunc in telam areolarem instillata substantia encephaloidea, quae crebrius apparet, plurimum affert ad tumores molliendos, quae transformatio non in omni scirrhi loco eadem esse solet, sed hic illic apparens interstitia relinquit, cruda adhuc et degenerata materia repleta. Altero in casu in quo fomes morbosus in uno tantum tuberculo positus est, ab hoc loco oriunda ulceratio carcinomatosa inimice agit in textum organis affinem, adoritur aut labium anterius, aut saepius posterius, reliqua parte colli uteri incolumi. Abnormitate ad eum usque gradum provecta, quo uteri collum vel totus uterus imaginem massae homogeneae, omnis organisationis expertis, praebet, integumenta disrumpuntur, quibus materia inclusa erat. Transit scirrhus in ulcus cum marginibus abscissis, retroversis, tertium carcinomatis stadium. Ulcus cancrosum non ex scirrhosa induratione ordiens minori stipatur dolore, pruritum magis libidinosum, ad coitum incitantem ostendit. Ulceris, nec valde duri, nec profundi, superficies obtegitur strato massae subcanae, anorganicae, quae abstersa iterum iterumque apparet. Afficitur saepius labium colli posterius hac ulceratione. In hac ultima periodo margines indurati, sanguinolenti, retrovertuntur; succrescunt e fundo gemmae fungosae, laxae, tactae sanguinem pro-

fundentes, odoris ichorosi, qui simillimus est foetori gangraenae nosocomialis; in aliis casibus omni vegetatione carens ulcus ostendit destructionem telarum uterinarum. Disparet totum collum, adest telarum omnium attritus, aut ulceratio, primo collum infestans, os et collum totum et corpus consumit, quo in casu cancer terebrans audit. Digitus exploratorius sine difficultate intrat cavum uteri; si vero retrahitur, sanies cancrosa ei adhaeret et halitus foetidus editur, mirarisque digitum sensationem dolorificam non effecisse. Perforantur saepius quoque parietes uteri, oritur commercium liberum cum peritonaeo; ulceratio rodit vaginam, praecipue quo in loco affigitur collo vesicam quoque urinariam, aut rectum, imo rima ipsa pudendi indurescit. Inotuerunt quoque casus, in quibus ulceratio cancrosa tubas Fallopii, ovaria ipsa et ganglia lymphatica adgrediebatur. Protruduntur excrescentiae fungosae sanguinem atrum, male olentem, conglomeratum, carnemque maceratam emittentes. Denique corrosio vasorum causam haemorrhagiarum sistit, quae vix arte coerceri possunt, quamvis dolorem paululum mitigent. Praeter dolores lacerantes pestilentialemque ichoris foetorem miserrimas aegrotas vexat necessitas crebrius mingendi et alvum edendi, quae conamina urentes dolores urethrae et orificii ani cient. Prolapsus uteri cancrosi si adest, adhaerere solet uterus vaginae. Tubera magna interrupta, sparsa, alia dissoluta alia indurata apparent, digitus exploratorius in hac chaotica massa telarum destructarum frustra quaerit collum et orificium uteri. Vagina, pudendum, perinaeum in hoc extremo

gradu affectionis cancrosae subeunt destructionem universalem, quae vix sustineri potest.

Inde a secunda periodo carcinomatis uteri symptomata occurrunt sic dicta universalia: dolores intermittunt, in principio locum certum non tenentes, pervagantur regionem inguinalem, crura, etc. nervorum decursum sequentes usque ad intestina et ventriculum, unde nascuntur dyspepsia, capitis dolores, palpitationes cordis: Alienationem organismi universi jam in secunda periodo animadvertimus, quam resorptioni materiae cancrosae vix imputare possis, quippe quae nondum elaborata sit. Appetitu ciborum aegrotae privantur, digestio tarde procedit, alvus modo solvitur modo retardatur, macies intrat, aut obesitas morbosa, magis pendens ab infiltratione aquosa, quam vera pinguedine; cutis color plumbeus redditur, intumescit nonnullis abdomen, quumque cessatio vel irregularitas mensium intrat aegrotae cogitant se concepisse, unde quoque derivare solent coenaesthesin turbatam. Symptomata haec cum perduraverint per longius tempus, organismo jam desunt vires, quibus resorptioni ichorosae materiae resistat, intrat cachexia carcinomatosa. Tum aegrotae imaginem offerunt miserrimam. Squamosa, arida cutis, ossibus adglutinata quasi, pallet et virescit, oculi in orbitas retrahuntur, nasus acuminatus, labia solito rubore destituta pallent, dentesque fuliginosi destructionis carcinomatosae victimam notant. Accedunt ad haec oedema pedum et abdominis, diarrhoeae colliquativae, sudores, dolores gravissimi, alvus tenaciter obstructa, imponunt

denique finem morbi febris hectica, agrypnia, haemorrhagiae, quae vires vitamque delent.

De causis carcinomatis.

Medicorum et physiologorum theoriam de aetiologia cancri si sequaris, causam proximam inflamationi imputare et, quae inflamationem efficit causam remotam habere debes. Hanc sententiam non comprobantes affirmavimus, diathesin adesse in corpore cancros provocantem, cui adduntur multae aliae causae carcinomatum, quas scriptores attulerunt: ut coitus praematurus, abortus, graviditas crebra, partus difficilis, erethismus nimius uteri, sterilitas, coitus cum viris eoque inducta irritatio colli uteri, syphilitici morbi; afferuntur etiam: coelibatus, abstinentia a venere, periodus climacterica, affectus animi deprimentes et quaecunque systema nervosum irritare solent. Efficaciam allatarum injuriarum ad diathesin provocandam cancrosam negare non possumus, sed quum eaedem causae in plurimis casibus non ad cancrum producendum, sed modo inflamationem chronicam sufficiant, si diathesis deficit, facile ratiocinabimur dispositionem organismi necessariam semper esse ad excitandas destructiones carcinomatosas. Si res aliter se haberet, qualis foret ratio feminarum veneri vulgivagae deditarum? num una eorum uteri carcinoma effugeret? Nihilominus ex observationibus virorum illustrissimorum compertum habemus, plebeculam istam rarius laborare carcinomate uteri, quam mulieres honestiores, praecipue eas, quibus sensibilitas psychica

et irritabilitas nervosa praevalent. Adnotasse licebit, inter causas carcinomatis cessationem menstruorum, catamenia nimia aut rariora, aut irregularia primum tenere locum; medici causis quoque adnumerant tristes animi affectus, desidiam, taedium, vitam libidinosam, exanthemata chronica repressa, fluoris albi cessationem nec non haemorrhoidum injurias, quibus uterus inter partum submittitur, nec non abortum artificialem ciendi detestabilis conatus, contusiones uteri, quae oriuntur e lapsu in genua aut in pedes, laesiones colli uteri per pessaria eburnea, aut alia corpora ex duriori materia confecta.

His signis adnotatis transeamus ad curam cancri uteri, omissis iis, quae ad prognosin pertinent. Nil enim proderit, lites exposuisse medicorum de fide sanationi carcinomatum habenda. Sunt, qui fidem sanationi habeant, sed haud dubitandum est, eos in casibus, quibus se sanasse dicunt carcinoma, quod ad diagnosin errasse, quum perperam putarent, scirrhum se invenisse, ubi induratio benigna aderat. Cogitandae, quod prognosin attinet, sunt sententiae medicorum omnis aevi peritissimorum, qui desperarunt de sanatione carcinomatum. Verum manet manebitque in hoc effatum Celsi jam allegatum: "quidam ferro adusserunt, quidam scalpello exciderunt, neque ulla medicina profuit; sed adusta protinus concitata sunt et increverunt, donec occiderent; excisa etiam post inductam cicatricem reverterunt et causam mortis attulerunt".

C u r a t i o.

Medici ex inflamatione chronica carcinoma

oriri credentes sumum remedium posuerunt in resolutione scirrhosae indurationis, quem in finem nihil magis appetebant, quam remedia resolventia. Instituerunt sanguinis detractiones universales et topicas; antequam speculum vaginae inventum erat, hirudines applicarunt medici ad regionem inguinalem, ad anum et perinaeum, quam vero applicationem fructum exoptatum, resolutionem indurationis scirrhosae, minime ferre posse, jam ex eo patet, quod sanguinis affluxum ad uterum adaugent hirudines his locis admotae, imo ne sanguinem quidem stagnantem in textu colli et corporis uteri detrahunt. Majori cum eventu sanguinis missiones institutae sunt in brachio, quae vim revulsivam exseruerunt in organon affectum. Venaesectiones tollunt congestiones ad uterum, quae alias scirrhosam indurationem incitare possunt ad novas reactiones morbosas: Applicaverunt porro medici, speculo vaginae utentes, hirudines medicinales ad organon affectum ipsum. Haud miraberis; sanguinis detractionem e loco affecto ipso plus auxilii ferre, quam aliam quamque, cui sententiae favent peritissimi medici, quamvis Lisfranc hanc methodum repudiat. Quaevis alia detractio sanguinis topica, ut supra dictum, nihil praestare potest, nisi quod solvit dolorem topicum in uteri ligamentis inde ab utero huc propagatum. Adjunguntur medicamentis resolutionem indurationis scirrhosae laudatis balnea calida, thermae, injectiones variae indolis; narcoticae, resolventes, ex aqua frigida paratae. Quietem maximi momenti esse quod ad curam, neminem fugere potest, quia gressus motusque omnis uterum irritant

et ad reactiones morbosas incitant. Enumeramus medicamenta ad cancrum sanandum laudata; sunt: Mercurii praeparata et composita, Cicuta, Belladonna, Digitalis, Semen Phellandrii aquatici, Jodum, Aurum, ejusque praeprarata, Acidum hydrocyanicum, Lauro-Cerasus, Calendula officinalis: dicunt nonnulli, se felici cum eventu infusiones calidas octoginta graduum scalae Fahrenheitianae in uterum adhibuisse, conjunctas cum sanguinis detractione et alvi purgatione per Magnesiam sulphuricam. Simili modo instituunt injectiones adstringentes, in provectiore stadio carcinomatis, e. g. acidi pyrolignosi cum aqua Salviae, ita ut drachma una acidi excipiatur unciis sex aquae; calcem adhibuerunt aqua solutum, quae vero medicamenta nullam vim exserere posse quod ad sanationem cancri facile patet, quia foetorem tantum subigere valent. Omnis aevi medicos causticis usos esse, experientia docet, delectus tamen habendus inter cauteria, eligendaque sunt ea, quae in locum morbosum adhibita partes propinquas non destruunt. Sunt vero hujus indolis cauterium actuale et lapis infernalis; alia etiam adhibita sunt, ut cali causticum, hydrargyrum nitricum, pulvis Cosmicus etc. ope speculi uterini applicanda. Laudantur porro ad sananda carcinomata medicamenta resolventia, quae diathesin venosam solvere dicuntur, ut extractum graminis, taraxaci, conjunctum cum tartari, terra foliata, Zicuta Aconitum Napellus, Sabina, Secale cornutum, decocta Sarsaparillae et Zittmanni, Antimonialia, Aurum muriaticum, conjuncta cum inedia et regimine apto. Ad profluvia sanguinis arcenda praescripserunt me-

dici elixir acidum Halleri cum tinctura Cinamomi et Laudano ad internum usum, deinde externe: quietem, injectiones frigidas, spongias pulvere gummi mimosae et alumine illitas. Medicos, quum de sanatione carcinomatis in genere, et nterini in specie, desperare cogerentur, auxilia petiisse chirurgica, haud miraberis. Dissensio viget maxima inter medicos, utrum scirrhus et carcinoma utri cultro tangenda sint, nec ne. Experientia docet, scirrhum et carcinoma post operationem semper redire, citiusque tum vitam aegrotarum et majore cum impetu infestari. Neminem latet, tali in casu omnino operationem omittendam esse; tuentur hanc sententiam medici celeberrimi iique experientissimi. Contra alii operationem commendant, tanquam curam palliativam, quia tempus inter operationem et eruptionem cancri novam expers sit doloris acerrimi, qui ad insaniam usque aegrotas adigere queat; hac ratione aegrotae operatione facta per longius aut brevius tempus bene valent, donec detestabilis morbi reditus omnem spem aufert.

Exstant operationis instituendae methodi plures, prout aut collum amputatione abscinditur, aut pars uteri exscinditur, aut denique uterus totus exstirpatione ex organismo submovetur. Diligentissima scrrrhi diagnosis obstetricia, per speculum vaginae instituta, indicationi ad operationem constituendae inserviat necesse est. Operatio vetatur debilitate universali corporis, tum si adest diathesis ad destructionem carcinomatosam, denique iis in casibus, in quibus fines mali exploratione evidenter dignosci non possunt. Indicatur vero operatio per scirrhum cum

prolapsu uteri molesto, qui reponi nequit, junctum, et iis in casibus, ubi spes affulget, omnes partes carcinomate destructas auferendi. Quod attinet momenta historica, jam ex saeculo decimo sexto medici instituerunt amputationem colli uteri scirrhosi, quam operationem medici praecipue administrarunt, ubi prolapsus uteri una aderat. Benjamin Osiander auctor operationis partialis uteri carcinomatosi est nominandus, quem multi alii medici secuti sunt, sed eodem infelici eventu. Sauter primus omnium anno millesimo octingentesimo vicesimo secundo etxsirpationem uteri non prolapsi suscepit, post eum plures alii cum eventu funesto.

Describere liceat utriusque operationis technologiam; praecepta ad amputationem colli secundum illustrsisimum Dupuytren haec sunt: aegrotae in lecto positae, sicuti ad sectionem lateralem opus est, speculum vaginae per genitalia immittitur, famulus tenet speculum. Chirurgus tunc tenaculo hamato uteri collum tenens leniterque protrahens partes vitiosas abscindit scalpello biacuto secundum planitiem flexo, aut forfice similiter flexa, quae tali modo tenenda est, ut concavitas spectet versus collum uteri. Operationem raro sequitur profluvium sanguinis majus, quod si accidit, stypticis est utendum, inflammationem operationi raro succedentem methodo antiphlogistica impugnare debebis, ne majora afferat damna, procedens ad organa finitima. Aliis in casibus, ubi medico non licet, collum tenaculo firmare ob ulcerationem majorem indeque oxortam mollitiem vitium impugnandum est cauteriis, quem in usum Dupuytren adhibere solet

solutionem Hydrargyri nitrici; Recamier vero utitur lapide infernali, suadent alii cauterium actuale ob periculum, quod junctum est cum usu causticorum potentialium ad vaginam et uterum applicatorum.

Exstirpatio totius uteri operationibus adnumeranda est difficillimis, quia et insultus et vulnera peritonaei necessario efficiuntur; vesica vero urinaria et intestinum rectum facillime incidi possunt. Quod damnum sequi possunt prolapsus intestinorum, fistulae recto- et vesico-vaginales turpissimae, haemorrhagiae nimiae. Accedit, quod feliciter exacta operatione malum carcinomatosum semper fere redit.

Extirpatio duplici modo, aut utero prolapso aut locum suum tenente instituitur. Uterum prolapsum Langenbeck a nexu suo cum simul prolapsa vagina ita solvit, ut fundi uteri pars conjunctionem incolumem retineat cum peritonaeo. Recamier prospero cum eventu ligaturam instituit uteri per filum duplicatum, utero prolapso impositum.

Extirpationis uteri non prolapsi operationem omnium primus, ut supra jam adnotavi, instituit Sauter. Aliis operationis methodis, ut Delpechii, Recamieri, de Sieboldii, Blundelii omissis, illius auctoris afferamus methodum. Postquam vesica urinaria et rectum clysmate et catheterismo sunt purgata et vacuefacta, aegrota in lecto ponitur sic dicto transverso. Famuli aegrotam tenent in lecto, quorum unus, volam manus symphysi ossium pubis super imponens, uterum detrudit in pelvim, simulque intestina tenuia manu arcet a pelvi. Digitis in vaginam inductis indice et medio ad illam va-

ginae partem, ubi haec collum uteri excipit, scalpellum acie convexa manubrio longo instructum admovetur ad locum designatum. Quo facto vagina inciditur circa totam peripheriam colli. Inducitur porro forfex convexa, qua disjungitur uterus a vesica ad peritonaeum usque. Digitis duobus in cavum abdominis inductis conjunctio cum intestino recto solvitur forfice, quo facto digiti quatuor vel tota manus inseritur in cavum abdominis, tali quidem modo, ut vola manus spectet uterum, tum conjunctiones reliquae totius uteri scalpello secantur posteriores et laterales. Famulus ad hoc usque tempus manum, ut supra adnotatum est, impositam tenere debebit, quia sedulo cavendum est, ne intestina prolapsa mortem adducant. Haemorrhagiae linteo carpto in vaginam immisso et stypticis sistendae sunt, denique cavendum, ne mutetur positio horizontalis aegrotae.

Quamvis sumo cum studio curatio cancri pertractata sit, tamen nemo fidem certam sanationi, vel cura medica, vel chirurgica et akiurgica impetrandae habere potest, quia malum redire solet, donec vires cum vita pereant. Restat igitur tantum cura sic dicta palliativa, qua efficere studet medicus, ut dolores mitigentur; Opium hunc in finem ejusque praeparata, praecipue Morphium aceticum, in auxilium vocant medici, injectiones narcoticas et tales, quae effluviorum foetorem corrigere possunt, incessus ad dolores mitigandos, sanguinis detractiones topicas. Sub morbi finem obtruditur indicatio vitalis, ut corpus diaeta nutriente servetur et animus psychica curatione sublevetur, ne aegrota nimium desperet.

V I T A.

Ego Alexander Ferdinandus Henschel, confessioni evangelicae addictus, natus sum anno MDCCCXIV Luckenwaldae, oppido Marchiae, patre Augusto, matre Christiana e gente Schlegel, quos vìvos adhuc pio animo veneror.

Litterarum elementis in urbe patria imbutus, gymnasium Vitebergense ab anno vitae decimo quarto frequentavi usque ad annum hujus saeculi tricesimum tertium, quo anno ad univertitatem litterariam Halensem me contuli, ubi, quum a rectore Magnifico illustrissimo Germar civibus academicis adscriptus essem, nomen professus sum apud ordinis medicorum decanum, Beat. Dzondi, perque annum disserentes audivi: Ill. Germar de Mineralogia, Ill. a Schlechtendahl de Botanice, Beat. Nitsch de Zoologia, Ill. Hinrichs de Logice, Ill. Schweigger de Chemia et Physice. Anno elapso Halis relictis Berolinum petii: Civibus

adscriptus academicis a rectore Ill. Steffens, nomenque professus apud Decanum medicorum ordinis Ill. Busch, disserentes audivi per annum integrum: Ill. Osann de materia medica, Ill. Schultz de Physiologia humana, Ill. Schlemm de Osteologia, Ill. Müller de Anatomia universa et organorum sensuum; qui mihi quoque una cum Ill. Schlemm dux fuit in cadaveribus rite secandis. Tum in annum me contuli ad almam universitatem, quae Gryphiae floret, ibique sub rectoratu Ill. Hornschuch et decanatu Ill. Berndt audivi: Ill. Berndt de arte obstetricia, de Pathologia et Therapia tam universali quam speciali, Ill. Kneip de ophthalmiatrice et de operationibus instituendis, Ill. Seyffert de Chirurgia et medicina forensi; Interfui exercitationibus Clinicis medicis, obstetriciis et chirurgicis Ill. Berndt et Ill. Kneip; — Demum anno hujus saeculi XXXVII ad almam hancce litterarum sedem quum reversus essem, nomen dedi apud decanum ordinis med. Ill. Wagner, sub rectore Ill. Boeckh.

Per annum interfui excercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis beat. Bartels, Ill. Trüstedt, Ill. Wolff, Ill. Rust, Ill. Dieffenbach, Ill. Jüngken, Ill. Busch; quibus viris omnibus Ill. maximas, quas habeo, ago gratias.

Tentaminibus, tam philosophico quam medicis, absolutis, nec non examine rigoroso superato, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publicc defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Symphysiotomia omnino rejicienda.
2. Carcinoma operationem vetat.
3. Certa graviditatis incipientis signa nego.
4. Amputatio extremitatum nonnunquam optimum remedium.
5. Optimum prophylacticum hydrophobiae cura est localis.
